Phariseus enim dicebat. Gratias tibi ago deus. Ergo cum diceret gratias tibi: fatebatur se ab ille accepisse quod habebat. Et unde superbus: quia spernebat ceteros. qui prope stabat. ix

Publicanus igitur de longinquo stabat: sed deus ad illum de longinquo non stabat. Tu autem. Capitulum.

Fratres. Notum vobis facio evangelium quod predicavi vobis: quod et accepistis in quo et statis per quod et salvamini: qua ratione predicaverim vobis si tenetis: nisi frustra credidistis. Ad benedictus antiphona.

Duo homines ascenderunt in templum ut orarent unus phariseus et alter publicanus. Phariseus stans apud se orabat dicens deus gratias tibi ago quia non sum sicut ceteri hominum raptores iniusti adulteri. velut etiam hic publicanus. Publicanus autem stans percuciebat pectus suum dicens deus propicius esto michi peccatori. Oratio.

Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maxime et miserando manifestas multiplica super nos graciam tuam: ut ad tua promissa currentes: celestium bonorum facias esse consortes. Per. Ad magnificat antiphona.

Stans a longe publicanus nolebat oculos